



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Christiani Mayer E Societate Iesv, Diarivm
Meditationvm, De Præcipvis Vitæ Christi mysteriis**

Mayer, Christian

Coloniæ Agrippinæ, 1635

32. De obedientiæ actibus internis externisq[ue] & incitamentis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60091](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60091)

tate cordis vestri, sicut Christo. 2. Quod omnia legitimi Superioris, quæ non sunt contra Deum, agnoscenda & amplectenda sint tanquam iussa Dei nobis per Superiorem voluntatem suam infinuantis, iuxta illud Christi: *Super Matt. 23. cathedram Moysis sederunt Scribae & Pharisei: omnia ergo quæ dixerint vobis facite.* Et illud Apostoli: *Quod unque facitis ex animo operamini, sicut Domino & non hominibus. Et: Non est potestas nisi à Deo, quæ autem sunt, à Deo ordinata sunt.* 3. Quod nihil à Superiore legitimo, etiam indiscreto, quantumvis durum & asperum imperetur, absque nutu aut permisso Dei, absque cuius voluntate nec capillus de capite, nec folium de arbore cadit. Qui has veritates profundè penetrat, & recenti memoria versat, facilem sibi ad supremum obedientiæ culmen aditum patere apprehendet. Desiderium his fundamentis in obediendo piè vtendi, exemplo Sanctorum, maximè Christi, & B. Virginis nos ad emulandum inuitantium.

De actibus Obedientiæ & Inci-
tamenti.

XXXII.

I. **E**Xpende quo modo præcipua-
ctus interni obedientiæ sint per-
fectè

fectè eliciendi (qui sunt hi triplices :
 1. In quouis legitimo Superiore agnos-
 scere & reuereri Deum. 2. Eiusdè im-
 perium & nutum acceptare tanquam
 diuinum beneplacitum. 3. Eidem vel-
 le ac proponere obedire vt Christo,
 quoad intellectum, affectum, execu-
 tionem) nimirū more consueto. 1. *Late*
 quoad extensionem ad omnes Superi-
 ores, aut vices eorum supplentes, ad
 omnia iussa, quæ nō sunt Deo contra-
 ria. 2. *Purè*, quoad intentionem diui-
 ni beneplaciti adimplendi. 3. *Intensè*,
 quoad eximium conatum in absoluta
 voluntatis & iudicij abnegatione, ex-
 actaque operis imperati executione.
 4. *Constanter & fortiter*, quoad victori-
 am omnium occurrentium difficulta-
 tum. 5. *Inatiabiliter*, quoad inexhau-
 stum perfectius indies parendi cuius
 homini propter Deum in omnibus li-
 citis desiderium. Quàm facile & quā-
 to gratiæ incremento hi affectus pos-
 sent frequentari, & per eosdem sic fre-
 quentatos habitus obedientiæ mirum
 in modum intendi? His ponderatis
 affectus ijdèm prolixius exercendi,
 per consueta quintuplicia suspiria iu-
 xta indust. meditandi.

II. Quomodo actus externi obedien-
 tiæ

tiæ piè meritorieque exercendi, qui
sunt hos triplices internos affectus ver-
bo & opere ipso exprimere: videlicet
1. ipso loquendi modo & externa re-
uerentia demonstrando, nos in quouis
Superiore Deum agnoscere & venera-
ri, nec tã attendere, quales habeat do-
tes naturæ & gratiæ, sed potius quod
vices gerat diuinæ nos gubernantis
providentiæ. 2. Omnia iusta eius im-
peria acceptando, probando & ample-
tendo, non secus ac si Christũ nos cor-
tam monentem audiremus: Hoc ego
præcipio; hoc volo vt mei amore faci-
as. 3. Omnia integrè exequi conando,
quæ fuerint imperata: atq; hæc omnia:
prestando ad implendum diuinum be-
neplacitum; cum debita voluntatis &
iudicij proprii submissione, omniũq;
virium strenua contentione, inuicto
animi robore & constantia, cum de-
ceti velocitate, alacritate & hilaritate.
Quàm sublimiter hos vtrosque actus
internos & externos exercuit B. Virgo
consentiens in Incarnationis mysteriũ
sibi annuntiatum, Iosephi sponsi non
recusans imperium, fugiens in Æpy-
ptum! Quatò sublimius Filius eius,
cuius tota vita assiduum fuit perfectif-
simæ obedientiæ exercitium! Idque
tum

tum

tum ob eminentissimam prædictorum obedientiæ fundamentorum penetrationem, tum ob ignitissimum diuini beneplaciti semper & in omnibus perfectissimè complendi desiderium. Feruor hos externos obedientiæ actus pie frequentandi.

III. Incitamenta, quorum 1. sit, quod obedientia sit præcipuū medium prædestinationis, quod omnia alia penè includit, ijsque, qui sub obedientia viuunt, suggerit. vnde & Christus ipse primogenitus prædestinatorum de se per Psalmistam ait: *In capite libri scriptum est de me, ut faciam voluntatē tuam, volui, & legem tuam in medio cordis mei.*

Psal. 39.

2. Quod sit excellentissimum diuine Maiestati holocaustum, iuxta illud:

1. Reg. 15.

Melior est obedientia quam victima. Vnde rectè D. Thomas: *Nihil maius potest homo Deo dare, quam quod propriam voluntatem propter ipsum alterius subiciat voluntati.* 3. Quod sit breuis, suaui & secura ad cælum via, iuxta illud Christi:

Matthi 7. *Sti: Qui facit voluntatem Patris mei, qui*

in cœlis est, ipse intrabit in regnum cœlorum. Zelus proficendi in perfecta obedientia.